UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Institutio huius Sacramenti, eiusdemque forma, & materia. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

TRACTATVS QVINTVS DE MATRIMONIO VT EST SACRAMENTVM.

CAPUT I.

Inſtitutio hujus Sacramenti, ejuſdemque materia, & forma.

1. MAtrimonium in ratione contractus naturalis ipſo mundi exordio inſtitutum fuit ad naturæ officium, ſcilicet ad propagandos homines, & poſt lapſum Adæ ad concupiſcentiæ remedium, ſive in illis verbis, quæ Adam, inſpirante Deo, dixit. *a Os ex oſſibus meis*, ut videtur ſentire S. Aug. *b* ſive in illis, quæ Deus protulit. *c Creſcite, & multiplicamini.*

2. At vero fuiſſe elevatum à Chriſto Domino, ad rationem Sacramenti, ſive quando ipſe interfuit Nuptiis Canæ Galileæ, ſive quando dixit. *d Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* Catholicorum nullus dubitat.

3. Quod autem Matrimonium Fidelium, utpotè Sacramentum, conferat gratiæ augmentum, & an aliquando poſſit primam gratiam conferre, & ſimilia multa, ad Theoricam ſpectantia, paſsim Theologi diſputant.

4. At quænam eſt hujus Sacramenti materia, & forma? Certè Averſa *e* affert decem Theologorum ſententias, Sanch. *f* vero cum attuliſſet ſex, ultimam approbavit, aſſerens, materiam eſſe ipſa verba, ſeu ſigna, quibus exprimitur cõſenſus mutuæ traditionis utriuſque conjugis: formam vero eſſe eadem ipſa verba, ſeu ſigna, quibus exprimitur conſenſus mutuæ acceptationis eorundem. Traditio enim illa facta ſenſibilis per externa verba, vel ſigna, cum ſit inchoatus, & imperfectus contractus, ſe habet tanquam materia, acceptatio vero facta pari modo ſenſibilis, utpote, quæ perficiat contractum, ſe habet, ut forma. Hæc Sanc. *g* cui libens acquieſco.

a Gen. 2. *b S. Aug. de Civ. li. 14. c. 2.* *c Gen. 1.* *d Mat. 19.* *e Aver q. 2. de matr. ſect. 3.* *f Sanc. l. 2. diſp. 5. de matr. n. 6.* *g Sanc. l. c.*

5. Quoniam vero Matrimonium Fidelium contractus naturalis eſt, & ſimul Sacramentum, Inquiret curioſus, an Fidelis poſſit Matrimonium inire, ut ſolum contractum, non vero, ut Sacramentum? Videtur enim, quamvis illicitè, poſſe tamen validè; quia cujuſcunque Sacramenti confectio pendet ab intentione Miniſtri volentis illud conferre, & ſicuti poteſt (quamvis illicitè) abluere quis puerum, & verba Baptiſmi proferre, nolens illum baptizare, quando certè illum minimè baptizaret, ita in caſu Matrimonii, &c. Adde, h & ulteriorem rationem, nam quemadmodum ablutioni cum illis verbis ſine intentione baptizandi prolatis, non eſt eſſentialis, & neceſſario conjuncta ratio Sacramenti, ſeu ratio Baptiſmi, ſic contractui naturali *Matrimonii* inito ſine intentione faciendi Sacramentum non eſt eſſentialis, nec neceſſario conjuncta ratio Sacramenti. Quod, ſi dicas eſſe neceſſario conjunctam ex Chriſti inſtitutione, etiam independenter à voluntate conferentis, divinantem te potius quis pronuntiabit, quam certa proferentem.

6. Reſpondeo. Urget me ejuſmodi allata ratio dubitandi, ita ut cum Vaſquez, *h* aliiſque probabilius judicem, poſſe validè, modo dicto, iniri à Fideli Matrimonium, ut ſolum contractum, & non, ut Sacramentum: eſto *i* Suar. aliique negent, contendentes Chriſtum Dominum conjunxiſſe rationem Sacramenti ipſi contractui ita, ut, quamvis poſitio contractus dependeat à voluntate Fidelium, eo tamen poſito, non dependeat ab ipſorum voluntate ratio Sacramenti, ſed eo ipſo, quod ejuſmodi contractus legitimè ponitur, ſtatim ex Chriſti inſtitutione illi adhæreat ratio Sacramenti. Verum id aſſerere, eſſet divinare, ut jam modo dictum eſt.

h Vaſq. to. 2. in 3. p. di. 138. c. 5 Pont. li. 1. c. 9. nu. 3. Hurt. di. 3 de matri. diff. 19. a- liiq; quos citat, ſed non ſequitur Aver. qu. 1. de matr. ſec. 5. V. Primo. indicarunt. *i Suar. Sanc. Coninch. quos citat. ſequiturq; Aver. l. c. V. Conſtãs tamẽ, quibus adde Caſtrop. d. 2. de ſponſal. p. 2. d. 5.*

UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN